



^{XLI}
THESES
DE

1611 M

TESTAMENTIS.

Q V A S

DIVINA ANNUNTE CLEMENTIA,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Consultissimi Viri,

D. N. REINERI R. F. BACHOVII ECH-
TII I. U. D. & in celeberrima & antiquissi-
ma Academia Heidelbergensi Philoso-
phiæ Practicæ Professoris
Ordinarii

M. JOHANNES COPPENIUS SERVE-
stanus Anhaltinus publicè in Auditorio
Jctorum disceptandas exhibet
Die 13. Julii.

Horis solitis.



M. JOHANNES COPPENIUS
HEIDELBERGÆ.

Typis Joannis Lancellotti. *Academ. Typogr.*

c l c l c x l



ILLVSTRISSIMO, AC
CELSISSIMO PRINCIPI, AC
Domino,

Dn. AVGVSTO,
PRINCIPI ANHAL-
TINO, COMITI ASCANIÆ,
DOMINO SERVESTÆ AC BERNBUR-
GI, &c. DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO

*Hanc de Testamentis disputatio-
nem qua possum animi submis-
sione, humiliter, reverenter dico,
consecro.*

M. JOHANNES COPPENIUS
Servestanus Anhaltinus.



D E
T E S T A M E N T I S.

I.



ESTAMENTUM, cujus originem juri gentiū, solemnitates & formam specialem juri civili ascribimus, est justa voluntatis nostræ sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

II.

Et dividi potest, quod aliud sit perfectum, aliud imperfectum, quod Codicillum vocamus.

Hæc divisio non absurde, docendi præsertim causâ, tolerari posse videtur, eamq; nec à jure absonam putat Alber. Gentil. i. Epist. 14.

III.

Perfectum testamentum intelligimus ratione voluntatis quod habet hæredis institutione, & fit vel solemniter vel non solemniter. utrumq; vel in scriptis vel nuncupato.

IV.

Tractatio hæc duobus ferè capitib. absolvi videtur: de testamenti constitutione, & ejusdem dissolutione.

V.

Circa prius caput præcipuè spectantur tum personæ, tum testandi modus, solemnitatesq;.

VI.

In personis requiritur, ut & status earum sit integer, &

B ij.

ut perfectè recteq; de reb. suis statuere, & disponere queant.

VII.

Ad prius, videlicet status integritatem, pertinent jura libertatis, civitatis, & familiæ.

Testari itaq; non possunt servi, deportati, damnati ultimo supplicio, in quib. hoc tantum mutatum videtur, ut ne servi pœna sint, confiscatio autem bonorum in favorem non ipsorū, sed cognatorum proximorum sublata est: itemq; filii fam. Exceptis iis bonis, in quibus vice patrum fam. habentur, h. e. solis pecuniis castrensi vel quasi.

VIII.

Ad posterius pertinet tum ætatis maturitas *a*, tum animi corporisq; integritas *b*.

a *Vt sint puberes. b* *ut ne laborent vitio aliquo graviore, vel animi, ut furiosi, prodigi: vel corporis, ut surdi, muti, juxta l. 10. C. qui testam. fac. possunt.*

IX.

Ita de Personis. Solemnitates testamenti sunt vel communes, vel speciales.

X.

Communes consistunt tum in legitima testium idoneorum adhibitione, tum in actus ipsius continuatione.

XI.

Idoneitas testium æstimatur vel ex causa communi, vel ex propria.

XII.

Causa communis ferè desumitur à tribus; statu *a*, sexu *b* & judicii integritate. *c*

a *Vt sint cives Romani. b* *Vt sint masculi: Quod an in Codicillis obtineat, ambigitur? Et nobis affirmativa probatur: vel quia quinque testes in codicillis requiruntur comparatione ad testamentum. Vel quia forsitan verum est, ubi lex certum numerum*

merum testium ad aliquem actum requirit, masculos intervenire oportere. c. *Vt vitiis iis quorum paulo antea mentio facta est, non sint infecti.* XIII.

Causa propria est, veluti si quis sit domesticus testatoris, vel hæres scriptus.

XIV.

Legitimam testium adhibitionem facit, tum numerus tum eorundem usus.

XV.

Numerus debet esse septenarius, quem tamen statuto coartari posse non dubitamus.

XVI.

Vsus respicit partim testium vocationem a, partim ipsam testimonii interpositionem. b

a *Vt sint specialiter rogati* b *ut presentes subscribant & subsignent, quod etiam alio instrumento quam annulo fieri posse rationis videtur, nisi quis & hoc forte ad scrupulosam testandi solemnitatem referre velit.*

XVII.

Continuatio actus testandi in eo posita est, ut nullo interveniente actu extraneo testatio peragatur.

In xta l. 28. C. de testam. ubi vulgo querunt: An contractus in testamento celebrari possit? quod negamus, contractu ut contractu & testamento ut testamento considerato. Sin queratur: An unum idemq; jus testamento & contractu constitui possit? Id affirmandum esse apparet. Quin si ponas testatorem, dum voluntatem suam ultimam ordinat, hæredi scripto presenti & consentienti aliquid v. c. certis pactionibus & conditionibus vendidisse, & hoc ipsum instrumento testamenti inseri curavisse, id ad minimum jure legati valiturum, & nec ipsum irritum futurum, & multo minus totum testamentum vitiaturum, nec à ratione, nec à Iure absonum putamus.

A. iij.

XVIII.

Solemnitas specialis est vel ordinaria *a*, vel extraordinaria. *b*

a Veluti in testamento cæci octavi testis adhibitio, in testamento patris institutio & exhereditatio liberorum. *b* Cujusmodi est voluntatis Principi facta oblatio, vel apud acta insinuatio, juxta l. omnium. 19. C. de testam. hoc enim citra observationes alias testamentum firmum reddit. Possit etiam modus testandi primo in ordinarium & extraordinarium distingui.

XIX.

Hæc de testamento solemnni. Minus solemne *a* dicitur, cui solemnitates testandi remissæ sunt.

a Denominatione sumpta à principaliori, siquidem v. c. testamentum militare etiam alia privilegia & ratione testantium, & ratione heredum habet.

XX.

Et hoc vel in favorem testatorum *a*, vel in favorem heredum *b*, vel in favorem utrorumq;.

a Veluti militis t. t. ff. C. & Instit. de milit. testam. Rustici l. fi. C. de testam. quod etiam ad testamentum tempore pestis à testatore morbo eo correpto factum, quidam extendunt. *b* Veluti si pia causa instituta proponatur, de quo fuse Teraq. de privil. pia causa, privilegio 1. cum multis seqq. *c* Quo testamentum inter liberos refertur.

XXI.

Sequitur testamentum imperfectum, nempe Codicillus qui fit vel cum testamento, quod aut præcedit, aut sequitur, vel ab intestato.

XXII.

Codicillus ab intestato *a* distingui potest, quod alius fit purus alius conditionalis. *b*

a Qui propriè huc pertinet, quoniam alter testamenti pars
quadam

quedam esse videtur. b Vel eventualis potius, quoniam eum hic intelligimus, qui in eventum quo testamentum valiturum non est, per insertionem clausula Codicillaris confertur.

XXIII.

Hucusque de testamenti constitutione, sequuntur vitia testamenti, quod vel ab initio nullum est, vel ex post facto ad nihilum redigitur.

Hec & precedentia pleraque ad testamentum perfectum, & præcipue ad solemne pertinent. Neque absurdum est, de re in forma & gradu perfectiori agere, unde de aliis non difficile sit iudicium facere.

XXIV.

Ab initio nullum dicimus testamentum, cum vel persona jus testandi non habuit, vel modus a à Jure præscriptus observatus non fuit.

a Sive solemnitas sit communis sive specialis, veluti si pater filium præterierit: quoniam jus pro solemnitate exigit filii non instituti exheredationem, quæ an justa sit nec ne, non ad jus testamenti, sed ad cognitionem Iudicis pertinet. Hodie tamen exheredationem qualificatam juxta N. 115. requiri communis est Interpretum sententia, quæ eò præsertim, quod causa nulla aut frivola adscripta heredi instituto aliam allegandi & probandi facultas concessa non est, probabiliter defendi posse videtur. Hæc ita jure civili: Prætorio enim hujusmodi testamentum in quo filius præteritus est, omnino nullum non esse, verum est, quicquid contradicat Anton. Fab.

XXV.

Ex post facto annullatur testamentum vel officio Iudicis, instituta querela inofficiosi, vel potestate juris.

XXVI.

Potestate Juris everti dicitur testamentum, cum vel rumpitur, vel irritum redditur.

|Rum-

XXVII.

Rumpitur testamētum vel mutatione, factō postero-
ri testamento *a*, vel agnatione, eaq; vel naturali, vel civili,
quæ rursus vel adoptio est, nel nepotis in locum filii præ-
mortui successio.

a Videlicet perfectō, sive eodem sive diverso perfectionis mo-
do. Ideoq; testamento scripto tolli nuncupativum, & vice-
versa, & eo quod actis insinuatū est, quocunq; modo antefa-
ctum testamentum rumpi, haud dubitamus.

XXVIII.

Irritū fit testamentum vel ex persona testatoris, capi-
tis deminutione, vel ex persona hæredis, destitutione.

COROLLARIA.

1. **C**ommunissima sententia est in l. 3. de Jurisdic. tres esse terminos, à qua ut
secessionem facerent, Cujacio & aliis ansam præbuisse videtur ea Dd. opinio,
qua Jurisdictionem & Imperium mixtum, etiam in actu, exercitio & subiecto con-
siderata separant & divellunt. Quod ut non probamus, ita alioquin duo illa specie
& specialibus objectis differre existimamus.
2. **C**onventio est vel nuda vel vestita: & hoc vel ex accidenti, confirmatione le-
gis, aut cohærentia contractus: vel natura sua, quam contractum dicimus: qui cō-
stat consensu vel nudo vel firmato, & hoc vel re, vel verbis, hisque vel ore prolatis,
vel scriptis expressis. Ita quidem divisit Tribonianus: At si verum exactius rima-
mur, Literæ non obligationem faciunt sed probationem.
3. **A**d contractus reales referuntur innominati, veluti do ut des, seu permutatio
Itemque quasi contractus, ut solutio indebiti, quam omnino malè quidam veris
contractibus accensent: Datio ut detur, vel ut fiat, ea parte, qua conditionem cau-
sa data, &c. producit.
4. **P**orro prout conventio est, ita obligatio vel civilis vel naturalis est: quamvis
& à conditione personæ hoc pendeat, ut si pupillus sit, quem naturaliter obligari di-
cimus, sed obligationem eam, quoad effectus principales & internos in favorem
pupilli à Jure Civili infirmatam dicimus.
5. **P**ossessio non ineptè forsitan à posteriori ita describi possit, quod sit detentio
rei vacuæ, cum jure eam sibi asserendi & amissam persequendi, ac recuperandi. Un-
de inferimus, creditorem verè & civiliter possidere, debitorem non possidere.

F I N I S.


1077

ULB Halle 3
003 252 035


Sb.







SES

1611

M

MENTIS.

AS
TE CLEMENTIA,

SIDIO
sultissimi Viri,

BACHOVII ECH-
errima & antiquissi-
lbergensi Philoso-
e Professoris
arii

PENIUS SERVE-
blicè in Auditorio
andas exhibet
Julii.

litis.

HOLM
BERG Æ.

otti. *Academ. Typogr.*

C X I.

